

*Nobiles, quomodo in bellum vadant?*

#### A r t i c u l u s 4.

Conclusum insuper est; ut universi Domini, Nobiles, ac Regnicolae continuo parati se in bellum teneant, ut si hostis ipse, majoribus viribus atque copiis viscera Regni intraverit; aut castrum, sive fortalitium aliquod obsederit; et necessitas ipsa postulaverit; mox viritim, et cum quinta parte rusticorum, vel autem necessitate ipsa magis exigente, cum pleno numero (prout iidem rustici, per dicatores numerati fuerint) armati insurgere; et penes Capitaneum Regni, illo, quo opus fuerit, et quo Domini Bani jussarent; sine mora proficisci debeant et teneantur. \*)

*Capitaneus, bellum quomodo promulget?*

#### A r t i c u l u s 5.

Dum autem haec necessitas insurrectionis accesserit, Dominus Capitaneus Regni, accepta informatione et commissione Dominorum Baronum; curet ad singulum Judicem Nobilium, unum specialem, ad idque idoneum hominem mittere:

§. Penes quem, ipse Judex Nobilium, in suo processu, seu judicatu, proclamationes superinde facere, hujuscemodi gente per omnia remedia levare tenebitur.

§. 2. Quas tandem idem homo Domini Capitanei, ad loca necessaria ducere debet.

*Vectura machinarum bellicarum.*

#### A r t i c u l u s 6.

Ad vehenda vero ingenia, quae Regia Majestas, Dominus Noster Gratosissimus, ad praesentem particularem expeditionem dare dignata est: Civitas Crisiensis equos sedecim, et Civitas Zagrabiensis sive Montis Graecensis, viginti quatuor, una cum rhedis, et aliis ejusdem generis attinentiis: Ad vehendos vero pulveres, et alios ingeniorum illorum apparatus, Fratres Heremitae de Lepaglava, \*\*) et alii Heremitae in hoc Regno degentes, duos currus, et equos duodecim similiter cum omnibus attinentiis, semper paratos tenere et conservare; ac ingenia ipsa, atque pulveres, eo, quo Domini Bani jussarent, vehi et conduci facere omnibus temporibus debeant et teneantur.

§. Quae quidem Civitates, ac Fratres Heremitae, ratione hujusmodi conductionis pixidum, sive ingeniorum, a conductu victualium infra conscriptorum, liberi sint et exempti.

*Arces finitimae perlustrandae.*

#### A r t i c u l u s 7.

Supplicandum denique est Sacratissimae Regiae Majestati, Domino Nostro Gra-

\*) Confirmatur hic insurgendi modus, quibusdam additis; An. 1659. a. 85. Et An. 1662. a. 6.

\*\*) Religiosi S. Pauli primi Eremitae.